

& copiosior etiam magis coit & plus loci aquis antea depressis concedit, hic paucior & jam antè compressior necessariò vincit, aquamque violentius intra bullæ collum compactam eijciendo, bullæ majorem iterum levitatem atque adeò ascensum conciliat.

XII. Contrarium autem in Stutgardiano experimento utrobique cur accidat, ex dictis pariter manifestum est. Supereminens enim aquæ aër, tametsi à calore diurno validè rarefactus ac dilatatus, non premit tamen ideò magis subiectam sibi aquam, quia per apertum supernè vasculum valide effluereque quaquaversum liberè potest; dum interim alter intra bullam C conclusus & ab eodem calore diurno rarefactus & expansus non aliorum quàm per bullæ collum vim expansionis novæ exerere valet, ideò aquas tantillum sibi cedere cogens, ut levior facta bulla superiora petat ac tamdiu teneat, quàm diu calor ille diurnus perduraverit. Sub vespeream noctemque verò, cum dilatatio hæc aëris intra bullam paulatim cesset, isque magis in seipsum coëns, aut reatius aquæ urgenti debiliùs nunc resistens, hanc iterum adfundum vasculi repetit. Et hæ vices ita perpetim se mutuo essent consecuturæ procul dubio, nisi mutatio quædam in ipsis rebus ad hoc experimentum concurrentibus contingeret; id quod quàm facilè sit cum ipsimet experti simus, haut equidem inutile fuerit eam rem paucissimis hîc annotasse. Nimirum cum aliquot dies continuos elapso proximè vespertaneum illum bullæ de die ascensum ac circa noctem de ascensum, non sine voluptate spectavissimus in vasculo supernè aperto & aquâ vulgari repleto; factum est tandem, ut in aëre calentissimo ipsoque meridiano Sole non ascenderet tandem amplius bulla, sed fundo perpetuo nocte dieque adhæreret. Facilè verò erat hujus rei causam vel oculis ipsis deprehendere, quandoquidem aquam à Solis calore hætenus excoctam multum & crassius sedimentum, circa vasculi fundum

Phæn. XV.  
ejusque  
causa.